

P r æ f a t i o .

U sus resolutionis numerorum in factores per Arithmeticam ac Analysim sublimiorem immo in Mechanica multiplex est. At regulæ, quas Arithmetica pro hoc negotio subministrat ad divisibilitatem numerorum per 2, 3, 5, 7, 11, 13, 37 et 101 eorumque composita restringuntur, divisores reliquos nonnisi *tentando*, non sine maximo temporis dispendio, indagandos committens. Nec Analysis sublimioris praecepta, si *numerorum primorum* determinationem excipias, magna huc emolumenta adferunt: Ut igitur nihil aliud superest, quam numerorum divisores *via inversa* stabilire, scilicet, productorum per multiplicationem oriundorum factores notare, eosque in *tabulas* colligere.

Tabulas ejusmodi ab Eratosthenis ad nostra tempora usque complures adornaverunt: nemo tamen feliciorem operam iis navavit, quam cel. Burckhardt *) Lutetiis Parisiorum Astronomus, qui divisores numerorum ad 3036000 usque assignavit. Verum cum opus illud forma, quam *folii* nuncupant, comparuit, simul tantum minimum divisorem cujusvis numeri per 2, 3 et 5 non divisibilis praebet, adeoque pro numero plures divisores involventi multis vicibus consulendum est, circa aliam hujusmodi tabularum dispositionem cogitavi, qua effici posset, ut et pretio paene dimidio venales essent, et unica earundem evolutio aut duae interdum earundem consultationes omnes quotcunque numeri divisores suppeditent.

Hinc jam sequens operis oeconomia sponte se obtulit:
1. Praemitto tabulam continentem omnes divisores simplices numerorum per 2, 3, 5 et 11 non divisibilium ab 1 ad 21500, numeris primis interjacentibus omissis: quo factum est, ut propter magnam numerorum primorum in ea praetermissorum copiam idem spatio novem priorum paginarum forma, quam *octavam* vocant, contineatur, ad quod

1 *

*) Table des diviseurs pour tous les nombres des 1^{er}, 2^e et 3^e million. Par J. Ch. Burckhardt, Paris 1817.